



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

27. Dies Aprilis. Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus
interfactoris. Sanctus Augustinus in Psalm. 69.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

27. DIES APRILIS.

Plus persequitur lingua adulatoris,
quàm manus interfectoris. *Sanctus*
Augustinus in Psalm. 69.

Adulatio. I.

Non adulatur hodiernæ diei
tessera Adulationi, dum per-
niciosorem pronuntiat A-
dulatoris linguam, quàm in-
terfectoris manum. Ne tibi plus æquo placeant le-
nocinantis adulatoris blandimenta, aspice, quæ hîc
depingam ejus lineamenta. Mos illorum est, lenoci-
niis verborum, subtili artificio compositis, insinuare
se in potentium gratiam, & eorum aucupari bene-
volentiam: congerunt laudes supra omnem fidem,
qui aureus hamus est, quo prædam capiunt. In eo
studiosissimè elaborant: ut habeant in promptu ex-
quisita præconia, ad exornandas corporis, animi-
que dotes. Si quem virum honoratum, quem ava-
rissimis suis votis obsident, cupidiorum laudis obser-
vent, tum videlicet omnia vela positæ suæ dictionis
explicant, & afflante aurâ impudentiæ, gloriose
in altum feruntur: ille enim avidissimè crepantes
adulationum bullas audit. Si quid dixerit prom-
ptum ex natura rerum, de elementis, de mixtis,
de animantium varietate, de fluxu maris, fontium
origine, de aëre, grandine, fulminibus, eum esse
dicent, à quo Plato, & Aristoteles, & reliqui
Philosophiæ Principes discere multa potuissent.

Si

Aprilis.

Tessera.

319

Si quid publicè, & in cætu aliorum pronuntia-
verit, Nestorem vocant, cujus ab ore, melle
dulcior fluebat oratio, nihil præ illo videri M. Tul-
lium.

II. Neque in eo ludo malitiæ, & dissimulatio-
nis, est tantum in laudando eruditus assentator, sed
etiam in vituperando, estque semper in statione, ut
quocumque ventus afflaverit, eo remis, velisque
rapiatur, in quo mirabilem versuti ingenii mutabi-
litate videre licet. Nam si fortè virum potentem
viderint, quem assentatiunculis suis captare stu-
dent: iratum in Titium, v. g. ob leviculam erro-
ris suspicionem, tum palæstram suam ingressi, ma-
ledicentissimæ, & petulantissimæ obtreccionis
nihil non mali in Titium conferunt, illum impro-
bum, & furiosum, & bipedum omnium nequis-
simum dicunt, rotam meritum, & tunicam mo-
lestam, quod immuni sacrilegio Deum offende-
rit. Redeat in gratiam Titius, & à magno illo vi-
ro consuetâ benevolentiam excipiat, redit in thea-
trum adulator, novâ indutus personâ: jam Ti-
tius vir est optimus, qui sunt, aut fuerunt, opti-
mus, & illius amore dignissimus, qui nutu suo,
gratiaque potest fortunare alios, & propè in cœ-
lum attollere. Hinc igitur, nominati fuere Cha-
maleontes, qui colores rerum omnium excipiunt,
quibus adhæserint; à lilio, candidum, à rosa,
purpureum, à beta, viridem, ab aliis, alium, to-
ties alii, quoties alia contigerint: sic adulator in
scena doctus inducere personam omnem, incredi-
bili commutationum varietate, ad omnem se nu-
tum, & aliorum voluntatem accommodat.

III. Hujus-

III. Hujusmodi sanè homines, qui verborum utuntur lenociniis ad captandam gratiam, animosque titillandos, acriter perstringit D. Bernardus, his verbis: (a) *Docuerunt linguam suam grandia loqui, cum operentur exigua, largissimi promissores, & parcissimi exhibitores, blandissimi adultores, & mordacissimi detractores, simplicissimi dissimulatores, & malignissimi productores.* Magnum igitur, se inducunt in periculum, qui hujusmodi parasitorum ambiunt consortium, majus, qui expetunt contubernium. Quid enim expectandum ab hujusmodi hominibus est, quorum Princeps, & palmare dogma est, omnibus annuere, probare improbanda, dare verba, vendere fumos, modò gratiæ spes affulgeat, & favoris, & lautæ mentis, & aliorum commodorum? Quis velit assentiunculas inanissimas suæ salutis periculo mercari? quandoquidem acrius in nos sæviant illi, crepantibus adulationum bullis, & fucatis laudibus, quàm ulli hostes ensibus. Hinc illud Augustini: (b) *Leuius debet putari, quod gladio minante; quàm quod lingua adulante committitur.* Genus planè hominum potentibus infidum, sperantibus fallax. Oritur porrò hoc vitium ex animi pusillanimitate, & ingenii, ad nihil altum assurgentis servilitate, ideoque excelsus animus, verè que nobilis, nunquam se ad eas ineptias dimittet. De his ita Deum alloquitur S. Augustinus; (c) *Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defenditur ab hominibus, judicante te, nec eripietur, damnante te;* Non erravit Poëta, dum hæc annuntiavit:

Nil dant mensipeta, nil portant præter Avete.

28. DIES

(a) l. 4. de conf. (b) l. de Bapt. cont. Donat. (c) l. 10. conf. c. 36.